

Quam juvenis adolescens
eruditionis decore ac
natalium gloriâ conspicuus
dn...

Helinus, Johannes Petri,

1 Ic 1692 Dryander, Andreas



National Library
of Sweden

221
17a



Quam

JUVENIS ADOLESCENS

Eruditionis decore ac natalium gloria conspicuus

**Dⁿ. ANDREAS A.
DRYANDER,**

Regiæ hujus ad Auram Academiæ civis
integerrimus,

Die 21. Sept. Anno 1692. pie defunctus, ac D. Thomæ Sacro ejus-
dem anni honorifice tumulatus,

Vitæ suæ ac virtutis integritate promeruit

Adoream

*sub exequiarum Solemnia
piè recordamur.*



185

Sap. 4. v. 8. & 9.

Honorata est Senectus, non diurnam adeptam vitam, neque numero annorum definita: Sed canities hominibus prudentia est & ætas senectutis vita, nullâ labe maculata.



Ibid. v. 13. & 14.

Exiguo perfundus spatio vitæ, longa tempora explevit. Nam placebat DEo anima illius: quapropter properè excessit de medio pravitatis.





Cite, ut solet, Seneca: si plus vivere non possum, hæc est mea senectus. Quicumque ad extrema sui fati venerit, hic moritur Senex. Sic est utique! Nam vera est & venerabilis Senectus, non quæ diuturna, sed quæ in viis justitiæ reperitur. Non quæ numero annorum computata, qualem nec cuivis obtinere licet, nec, cui licet, verus est Senex semper, sed quæ sapientiæ debetur, non annis. Quod senium, ante senectam pauci consequuntur; plures autem nunquam. Ast mature fias Senex oportet, qui diu esse velis. Non enim quanta sit vita, sed qualis, perpendendum. Nec refert quam diu vixeris; sed quam benè. Nam qui bene, non qui diu vixit, hic moritur senex. Multam igitur prius, quam longam, nobis optemus vitam. Multa autem fiet; si, sortis nostræ ac mortis conditionem seriò ad animum revocemus & meditemur. Immo, & longa erit; æternam enim mortem effugies, quisquis contemseris præsentem. Contemnes autem; si prospexeris. Et prospicies utique, si & hanc inevitabilem consideres, & sortem fragilem. Vita namque nostra, quid est, si non *exiguè donum breve temporis*, fumus, aura, nihil? quid, si non, via est & cursus à matre, ad matrem; ab eâ, quæ homo est, ad eam, quæ humus adpellatur. Scilicet, quotidie morimur; quotidie demitur aliqua pars vitæ; & dum crescimus, vita decrescit. Errant igitur, qui mortem, non quam
in

in sinu gestant, quã circumferunt, cogitant sed quæ ventura, solum verentur & timent. Nescii quod vix prius vivere incipiamus, quam morimur. Nescii, quod quidquid ad hesternum usque temporis transit, perierit: Nescii, quod vel hunc ipsum, quem nunc agimus diem, cum morte dividamus. Etenim diu illuc venimus, semel autem pervenimus. Quemadmodum Clepsydram, non ultimum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit; sic ultima illa hora, quã esse desinimus, non sola mortem facit, sed consummat. Et sane, communis hæc & æterna naturæ lex est; ut, cui nasci contigit, restet mori: ut, ad mortem destineris, quisquis ederis ad vitam: ut omne quod ortum habet, finem timeat; *finisque ab origine pendet.* Nec discrimen hic fata agnoscunt, nec ordinem. Nasci enim, denasci, oriri & aboriri, *hic primus & ultimus ordo.* Et tantum intervallo distinguimur, exitu æquamur. Ut enim non omnes, in agro, fruges crescunt, florent, maturescunt, metuntur; plures namque vix natæ, nedum enatæ confidunt, pereunt; sic homines, alii longius, brevius alii, omnes autem eadem currimus viã, & tantum non volamus ad finem. Præveniamus proinde hunc finem, qui prævenire solet. Discamus ante mori, quam morimur. Discamus, inquam, ut sapiamus. Et sapiemus vere, si hic sapimus. Si omnes horas complectimur. Si in procinctu stamus. Si denique omnem credimus diem, immo horam nobis fluxisse supremam. Quæ qui fecerit, nã huic optime constabit, & temporis ratio, & impensæ. Hæc tacito examine, seriãque dum æstimatione pensito, ecce! peracta, quam vixit, vita, & mors, quam obiit beatam, Commiles noster & Sympatriota carissimus, mihi quam maxime obveniunt. Sympatriotam hic nomeno Juvenem Adolescentem Dn. ANDREAM DRYANDRUM, hujus, ante hæc, Academiæ, ad Auram, civem dignissimum, nunc autem meliore sui parte, beatos inter beatissimum. Qui ante, non ita multo, ipso in ætatis flore, à nobis

bis, ad superas illas & beatas æternitatis sedes, subita & inopinâ morte commigravit. Quamquam quid hic subitum, quid inopinum dixerò; ubi nihil subitum, nihil inopinum, improvisum nihil esse debet. Sane! tantum abest, ut improvisa sit morte peremptum hic Noster; ut mori ante didicerit multo, quàm mortuus est. Ante præmature, nec ante diem. Quis etenim ante diem moritur, qui omni die vitam Deo, qui dedit, debet? Quis immature, cum ad mortem maturi omnes simus; idque ex quo nati, immo antequam nati? Utique nulla mors non matura est bene morienti. Quid si senectam illam, quam supra diximus, eum assecutum asseverârim? Ut nulli non sua est senectus; ita & huic. Licet non ea, quæ extrema tangit; qualem, qui cito maturuere, nunquam expectant; ea tamen quæ verior, huic Nostro fuit senectæ. Quam nimirum via immaculata, quæ sola est ætas senectæ, exornat & condecorat. Scilicet hæc ea est senectæ, hoc illud senium, cujus extrema finemque explevit hic Noster. Hæc illa via est, hoc illud stadium, quo cursum suum, pede admodum inoffenso, decurrit, atque absolvit. Pervenit itaque ad metam, ad quam nos tendimus omnes. Ad metam, quam illi, vitæ mortisque Dominus voluit præfinitam. Quis ergo jam Te non felicissimum prædicet O Noster DRYANDER! Qui dum felicitatem, quæ temporalis est, studiis assequistudes; æternam (ecce arcanum quoddam Divinæ dispensationis) consequeris. Dum Parentibus, quos hic in terris, huc Aboam profecturus liquisti, valedicis; Tuum sanctos diu inter beatissimum Parentem, in cœlis adinvenis. Dum cognatos, hospites, contubernales & quosvis denique alios, extra Patriam abiturus, ultimum salvere jubes; A sanctis, qui fuerunt, omnibus, contubernalis; ab Angelis socius; filius & hospes, ab ipsâ S. S. Triade, in patriâ verâ & æternâ proclamaris & salutaris. Dum denique terrestris Academia novus adscriberis civis; ad cœlestem, ubi Paulo ineffabilia nunc audis & discis, eveheris. Salve igitur cœlo dignissime DRYANDER!

Recte

recte mutasti caduca æternis; mundana Cœlestibus; humana
Divinis! Vale item ð nostrum delictum, nostrum desiderium!
Vale, inquam, & æternâ, ab æterno, in æternum, cum æter-
nis, æternus beatusque nunc frui vitâ!

JOHANNES HELINUS.



Na Cupido tenet mortales atria celi
Altaque sub pedibus signa videre suis.
Sed tamen ad superos non est iter omnibus unum
Viribus hic vastis, nititur ille dolo:
Arte intrare alii conantur leta tonantis
Tecta, feruntque Deo munera ficta suo
Audax Enceladus truncos evulsit ut illis
Possit ab ætherea pellere sede juvem.
Sed miser in præceptis datus, audacisque volutus
De calo capti præmia digna tulit
Artibus his petitur cœlestium Regia nulli
Istæc regna fide parta DRYANDER habet
Scilicet illa fides que Christum amplectitur unum
Qui comes & ductor potus & esca via est
Nunc jacet heu fatis & acerba morte peremptus
Quem rapuit nobis mortis avara manus
Heu memini quando caros mors clausit ocellos
Tristibus & curis atteror ipse miser
Sed nunc defunctus cursu super astra beata
Otia perpetua jam requietis habet

JOHANNES AGRELL.

Animum **N**ostrum **D**ivindrum **R**eliquit **E**xstinctum **A**nima, **S**ane **A**liu
Nos speravimꝫ cuncti. *ô cæca mors, quæ maturos immaturosqꝫ invadit & nescit discrimin* **A**
Decus nationis amisimus & delictum nostrum, quod quidem nos aggravat omne **S**
Redimere tuam animam si foret integrum, ne quidem ullus nostrum, *ô anima beat* **A**
Esset, qui de suis annis tibi non concederet, juvenis vixisti, at Senex mortuus, cert **E**
Annos tuos virtus excelluit & ingeniũ, quod si consideremꝫ non immaturè obiisti, sed alite **R**
Si annos & desideria omnium, eheu nimis immaturè! fama satis vixisti & virtuti, se **D**
Amicorũ familiæqꝫ votis nõ satis: lugēt parētes, ejulāt cognati, plāgūt amici, teqꝫ nõquã nõ **N**
Decantabunt **A**onie **S**orores, **A**micitia **E**ja **R**equiesce **D**ulcissima **N**ostr **A**

JONAS S. FREDUHL.



